

ADATTÁR.

Batsányi János Kassa város tanácsához a Magyar Muzsa elkobzása ügyében. (1793.)

Perillustrres Domini Deputati!

Communicato mihi benigno-gratioso Excelsi Consilii Regii Locumtenentialis Hungarici de dato 13-a Februarii anni currentis Nro 4503 elargito intimato, quo mediante amplissimo liberae huius regiaeque civitatis magistratui confiscatio exemplarium ex primo secundi tomi periodici operis Musei Hungarici fasciculo, tamquam complura scripta sufflaminatoria, paci et tranquillitati publicae derogatoria, in se continente, adhuc reperibilium, committitur; sequentem praetitutatis Dominationibus, qua praelaudati civici magistratus hunc in finem ad me, tamquam dicti operis redactorem et editorem exmissis deputatis faciendam habeo declarationem:

1-o. Quaestionatus operis nostri fasciculus cum approbatione regii librorum revisoratus officii et quidem iam anno 1790 mense Maio impressus, in compluribus patriae nostrae civitatibus inde ab eo tempore publice venditus et omnibus tam inclyti regni huius, quam et magno-principatus Transsylvaniae civibus et incolis, quibus lingua et litterarum patria curae et cordi est, cognitus ac, prout reliqua instituti nostri unice in commune bonum tendentis conamina, communi cum favore atque adplausu exceptus est. Immo, quod plus: dum anno 1791 sub 5-a Maii in obsequium benigno-gratiosi decreti de dato 5 Aprilis eiusdem anni sub nro 5494 planum operis et instituti nostri excelso consilio locumtenentialem regio exhibuissemus, tunc illum eundem 2-di tomi 1-um fasciculum pro exemplo advolvimus, idque, quod petievamus, obtinimus.

2-o. Exemplaria operis huius typis sub censura impressa, sunt mea proprietatis legitima, multis fatigiis et aere comparata; qua itaque sine iniuria et manifesta iuris tam naturae, quam et patriae nostrae positivi laesione privari ac frustrari nequeo; tanto quidem magis

3-o cum ego nullius coiminis reus usque in hunc diem praetensus, neque unquam auditus aut interrogatus, tanto minus convictus sim.

Ex his igitur rationibus merito censerem, me tam mihi ipsis, quam sociis meis, quin et ipsi litteraturae nationali defuturum: si, antequam circumstantias has et alias prae laudato excelso dicasterio probabiliter ignotas, debita cum humilitate remonstrassem, reperibilia apud me dicti fasciculi exemplaria praetitulatis dominationibus vestris extradarem et confiscari sinerem admitteremque, ut intentata hac ratione instituto existimationisque nostrae causa, in tanta iuris nostri claritate, ab executione et confiscatione inchoetur.

Ut nihilominus paratam altiora mandata exequendi voluntatem meam promptumque ac sincerum excelsis patriae meae dicasteriis parendi studium hac etiam occasione testatum redderem et fini ac intentioni communicati mecum benigno-gratosi decreti, in quantum fieri potest, responderem: exhibui Praetitulatis Dominationibus manuscriptum meum, praescripto modo revisum et admissum propriaque regii librorum censoris manu subscriptum et per me ipsi etiam serenissimo regio principi domino palatino in authentica copia porro exhibendum. Numeravimus exemplari quoque illa, quae adhuc non vendita, apud me reperiuntur; quaeve universim in 75, id est septuagintaquinque frustris consistunt. Haec, usque altiore praerepetiti excelsi consilii locumtenentialis regii ordinationem apud me loco certe securo in deposito manebunt.

Et haec sunt, quae praetitulatis Dominationibus Vestris finem in eum scripto declaranda habui, ut ea amplissimo magistratui, a quo missae sunt, genuine referre valeant; per Eundem altius perscribenda.

Cassoviae die 5-a Aprilis 1793.

Joannes BATSÁNYI
regiae cameralis iuratus notarius,
qua redactor et editor Musei Hungarici.

Kívül:¹ Declaratio redactoris et editoris Musei Hungarici ad dominos deputatos amplissimi magistratus Cassoviensis de dato 5 Aprilis 1793.

Közli: KEMÉNY LAJOS.

¹ Ugyancsak BATSÁNYI kezével.